

Brakman, C
Ammianea et Annaeana

PA
6205
B7

AMMIANEA

ET

ANNAEANA

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.r



LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL
1909.


AMMIANEA

ET

ANNAEANA

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.F.



LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL
1909.

PA
6205
B7



1025772

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILL FUERUNT.

PRAEFATIO.

Iam diu constat inter viros doctos nova recensione Ammiani Marcellini „Rerum Gestarum" opus esse. Notum autem est v. d. Upson Clark, qui de codicibus, quibus Ammiani historia continetur, erudite disputavit [1]), id agere, ut editio sua difficillimi illius rerum scriptoris quam emendatissima futura sit.

Item Senecae Epistularum Moralium, quamquam nemo est quin confiteatur Hensii editionem correctiorem esse atque egregiam singularemque auctoris sui doctrinam luculente ostendere, tamen non pauci loci egent emendatione. Pro meis viribus hic illic conatus sum Ammiani et Senecae textum, quod eae editiones Teubnerianae nobis offerunt, in integrum restituere. Nonnullas observationes alterius generis, ut facere consuevi, coniecturis interposui. Quod etiam pauca adieci ad Senecae Dialogos pertinentia id feci, cum persuasum mihi sit genus dicendi Epistularum maxime cognatum esse Dialogorum rationi loquendi.

Spero fore ut, quae hoc libello publici iuris facta sunt, ea Clark Hense alii in usum suum convertere possint.

Dabam
Hagae Comitis
m. Aprili 1909.

C. Brakman J.f.

---

1) Cf. Revue Critique 1904, N°. 24, pag. 474—475.

AMMIANEA.

Qui ad studium operis Ammiani Marcellini se contulerit, summa cum admiratione leget longam seriem coniecturarum et observationum, quas Petschenigius in septem voluminibus Diarii, cui titulus est Philologus [1]), publici iuris fecit. Etiam quae Cornelissen, Guenther, Novák [2]), Stangl [3]), Löfstedt [4]) alii vulgaverunt de illo praecipuo rerum scriptore pertinentia ad rem criticam, non sine fructu cognoscentur. Nihilominus verisimile duco eum, qui identidem diligenter Ammiani libros tractaverit, complures inventurum esse locos, quos sibi videatur emendare posse. Hoc potissimum cadit in lacunas, quae multae minus recte expletae sunt; verum saepe ratione habita ipsius Ammianei generis dicendi voces desideratas facile reperiemus, nonnumquam ope verborum eius auctoris, quem historicus noster imitari solet, recuperabitur lectio genuina. Itaque utilissimum est locos similes afferre, quamvis interdum pro certo contendi nequeat, utrum sententiam et verba ab alio scriptore mutuatus sit Ammianus, an casu et fortuito idem fere dicat atque auctor aetatis superioris. Ego autem pro mea consuetudine tantummodo eas ὁμοιότητας enumerabo, quas quod sciam non laudaverunt alii.

XIV, 6, 8 qui (sc. Cato Censorius) interrogatus quam ob rem inter multos ... statuam non haberet „malo", inquit, „ambigere

1) Voll. 48—52 (Ann. 1889—1893); Vol. 56 (1897); Vol. 59 (1900). Adde quae idem scripsit Neue Philol. Rundschau; pag. 70—72.

2) Curae Ammianeae. Pragae 1896.

3) Zu Ammianus Marcellinus. Philol. Vol. 64 pag. 310 sqq.

4) Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität. Stockholm 1907.

bonos quam ob rem id non meruerim, quam, quod est grauius, cur inpetrauerim mussitare [1]).

Nonne necessario scribendum est: inter multos *unus*? Voci suppletae spatiolum saltem sufficit, quae commendatur his verbis: (XXX 8, 9) *unum ex multis* constans innocentiae uulgi ueteris specimen ponam. Confer quoque (XV 8, 2) id ubi urgente malorum inpendentium mole confessus est proximis succumbere tot necessitatibus tamque *crebris unum* se, quod numquam fecerat, aperte demonstrans e. q. s.

XIV 11, 27 Vulgo edunt: natus apud Tuscos in Massa Veternensi, patre Constantio Constantini fratre imperatoris, matreque Galla sorore Rufini et Cerealis, quos trabeae consulares nobilitarunt et praefecturae. ⟨*fuit*⟩ autem forma conspicuus bona, decente filo corporis membrorumque recta conpage, flauo capillo et molli e. q. s.

Exspectaveris: ⟨*erat*⟩ autem forma conspicuus bona e. q. s., sicut Ammianus de Iuliano scribit (XXV 4, 22) mediocris *erat* staturae; de Valente (XXXI 14, 3) super his omnibus liberalis *erat* cum moderatione; ibid. § 8 ut *erat* inconsummatus et rudis cet. Ac profecto inter *praefecturae* et *autem* potius *erat* praetermitti potuit quam *fuit*.

Cum verbis: decente *filo* corporis comparare volumus (Apul. Met. IV 23) uirginem *filo* liberalem.

XV 1, 4 namque etiam si mundorum infinitates Democriti regeret, quos Anaxarcho incitante magnus somniabat Alexander, id reputasset legens uel audiens quod — ut docent mathematici concinentes — ambitus terrae totius, quae nobis uidetur inmensa, ⟨*ad*⟩ magnitudinem uniuersitatis instar breuis optinet puncti.

Quam necessarium sit *ad*, declarat locus similis, Tuscul. I 40 persuadent enim mathematici terram in medio mundi sitam *ad* universi caeli complexum quasi puncti instar obtinere.

XV 2, 7 quod a Macelli fundo in Cappadocia posito ad Asiam

---

1) Textum dedi secundum editionem Gardthauseni, quae prodiit apud Teubnerum (1874—1875).

demigrarat liberalium desiderio doctrinarum ⟨*et*⟩ per Constantinopolim transeuntem uiderat fratrem.

Melius posueris ⟨*perque*⟩ Constantinopolim [1]), ut apparet ex his exemplis: (XVII 4, 11) perque speciem; (XIX 13, 1) perque rupis; (XXII 15, 7) perque dies; (XV 4, 3) perque quadringenta; (XVI 10, 13) perque omne; (XVIII 2, 14) perque expeditiones; (XIX 12, 9) perque elogium.

Huic uni rei subiungamus alios locos, ubi *que* aptius videtur quam *et*, quod Gelenio praeeunte Gardthausen recepit. Ipsi legentes animadvertent haud ita raro addita particula, quae est *que*, meliorem clausulam evadere [2]).

Post *s* litteram:

XVII 10, 2 ut in Tageticis libris legitur Vegonicis⟨*que*⟩; fulmine e. q. s. (cf. XXV 3, 18 gaudensque abeo *gestiensque* – ⏑ – ⏑ [3]).

XX 11, 7 dignitatibus augendis [4]) praemiis⟨*que*⟩, atque e. q. s.

XXV 3, 17 bella inferens repellens⟨*que*⟩, tametsi e. q. s.

XXVII 10, 3 specie quidem molliculus et morbosus, sed audax fortis⟨*que*⟩, ardores e. q. s.

XXIX 5, 19 per speciem pauentis supplicis⟨*que*⟩ e. q. s.

XXXI 4, 2 quicquid ad Pontum a Marcomannis praetenditur Quadis⟨*que*⟩ e. q. s. (cf. XVI 10, 20 Quados*que* Valeriam e. q. s.).

Post *r* litteram:

XXII 7, 7 uigilanter audiebat fortiter⟨*que*⟩, quae e. q. s. (cf. XX 3, 11 traditurque doctrina cet).

Post *m* litteram:

XXV 4, 8 pro rerum hominum⟨*que*⟩ distinctione (cf. XVII 10, 9 ex opibus suis suorumque praeberet; XXVIII 4, 33 itidemque minoribus).

XXV 6, 11 cum⟨*que*⟩ staremus ut pugnaturi (cf. XIX 7, 4 cumque propinquantes; XXIX 1, 13 cumque nec carceres; XXIX 3, 7; XXXI 15, 9 cet.).

---

1) Idem sensit Stangl (Phil. vol. 64 pg. 313—314).

2) Ad Cic. Brut. § 154 W. Kroll adnotat: *conficiendisque* (rebus) es ist zu beachten, wie oft Cic. *que* setzt, um eine bessere Clausel zu erzielen.

3) Norden (Antike Kunstprosa II 649) de Ammiano scribit: er ändert nicht nur die übliche Wortfolge wegen des rhythmischen Satzschlusses

(– ⏑ – – ⏓ oder – ⏑ – – ⏑ ⏒ oder – ⏑ – ⏓) e. q. s.

4) Sic edendum est cum codd.

Post *e* litteram:

XXVI 2, 7 utiliter *gloriose⟨que⟩* complestis (cf. XVII 11, 1 prospereque conpleta; XXI 13, 13 feritate speque postrema).

Post *t* litteram:

XXXI 3, 8 adposita quaeque conuellit [1]) corrumpit⟨*que*⟩; *populi* pars e. q. s. (cf. XXI 15, 2 tendebat uenitque Tarsum; XXI 16, 17 eratque super his adimere facile; XXI 16, 12 utque recte sentientes).

Tale agmen cogatur exemplo memorabili admodum (XXVIII 4, 7): praenominum claritudine conspicui quidam, ut putant, in immensum semet extollunt, cum Reburri et Flabunii *et* Pagonii Gereones*que* appellentur *ac* Dalii *cum* Tarraciis *et* Perrasiis, aliis*que* ita decens sonantibus originum insignibus multis.

XV 4, 8 . . . . . . uisi e latebris hostes exiliunt et sine parsimonia quicquid offendi poterat, telorum genere multiplici configebant.

Conicio in fronte sententiae, ubi 9 litterae evanuerunt, restituendum esse: *inprouiso* [2]), cui favet (XXIV 4, 29): subsedisse manum insidiatricem latenter, ut *inprouiso* inde exorta agminis nostri terga feriret extrema.

XV 7, 3 diebusque paucis secutis cum itidem plebs excita calore quo consuevit, uini causando inopiam, ad Septemzodium conuenisset, celebrem locum, ubi operis ambitiosi Nymphaeum Marcus condidit imperator, illuc de industria pergens praefectus ab omni toga apparitioneque rogabatur enixius, ne in multitudinem se adrogantem immitteret et minacem, ex commotione pristina saeuientem: difficilis ad pauorem recte tetendit adeo, ut eum *obsequen⟨tium pars⟩* desereret, licet in periculum festinantem abruptum.

Gelenii supplementum *tium pars* lacunam 12 litt. non explet. Ammianus vero fortasse dedit: ut eum *obsequentium adulatio*

---

1) Allitteratio quaesita est, cf. XXXI 10, 14 caedebant cadebantque; XXXI 10, 18 (= XVI 5, 6) quo quantoque cet.

2) O. Guenther (Quaestiones Ammianeae criticae Gottingae 1888) pag. 15 postulat aut *improuisi* e latebris aut *subito* uisi.

desereret e. q. s. Invenimus (XXX 1, 4) ui uel metu uel *adulatio*; (XXVI 6, 16) ancillari *adulatione cet.*

XVI 5, 5 (Iulianus) occulte Mercurio supplicabat, quem mundi ueIociorem sensum esse, motum mentium suscitantem theologicae prodidere doctrinae: atque in tanto rerum defectu explorate rei publicae . . . . . . curabat.

Valesius in congruo spatio supplet *munera*, at usus Ammianeus flagitat: rei publicae *membra* curabat. Supplemento meo favent: (XV 3, 3) sed rei publicae *membra* totius per incidentia mala uexantes; (XVIII 5, 1) iamque ausurus inmania rimabatur tectius rei publicae *membra* totius; (XXV 9, 5) et per omnia ciuitatis *membra* una uox cunctorum erat gementium; (XV 7, 5) per uaria urbis *membra*; (XVI 10, 14) urbis *membra* conlustrans; (XX 7, 9) quae moenium adpeteret *membra*. Addatur etiam exemplum, quod continuo sequitur:

XVI 5, 6 et quasi pabula quaedam animo ad sublimiora scandenti conquirens per omnia *philosophiae membra* prudenter disputando currebat.

Cum his verbis conferantur quae adnotavi infra ad Senec. Ep. 89, 1.

XVI 5, 8 totum *memoriae dolium.*

Simile Ciceronianum videtur, cf. Tuscul. I § 61 Quid igitur? utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo tamquam in aliquod *vas* ea, quae *meminimus*, infundantur?

XVI 11, 5 qua clade cognita agili studio Caesar missis cuneis tribus equitum expeditorum et fortium tria obseruauit itinera sciens per ea erupturos procul dubio grassatores: nec *conatus* inritus fuit.

Duo codices exhibent *neco* [lac. 6 litt.] *inanti*, quocirca reddamus Ammiano: *nec conatus minanti* inritus fuit, cf. (XXIX 5, 18) quibus *minantis* periculi metu defixis cet.

Pari modo emendare possumus:

XXVIII 1, 54 festinauit, ut mandatum est, Doryphorianus magnis itineribus Romam, et *interandi* initia magna quaeritabat industria, qua ui senatorem perspicui generis interficeret iuuantibus nullis.

Nam neque *administrandi* [1]) neque *scrutandi* [1]) huc quadrat, sed aptum videtur tantummodo: et *inter minandi* initia magna quaeritabat industria e. q. s.

XVI 12, 17 regii duo fratres (sc. Alamanni) uinculo pacis adstricti, quam anno praeterito impetrauerant a Constantio, nec tumultuare nec commoueri sunt ausi. sed paulo postea uno ex his Gundomado, qui potior erat fideique firmioris, per insidias interempto omnis eius populus cum nostris hostibus conspirauit et confestim Vadomarii plebs ..... ut adserebat-agminibus bella cientium barbarorum sese coniunxit.

Reponendum videtur in spatio congruo: et confestim Vadomarii plebs *consanguineis* — ut adserebat — agminibus bella cientium barbarorum sese coniunxit. Ipse Ammianus agnoscit vocabulum insertum: (XXX 10, 6) quod ille, ut erat beniuolus et peritus, *consanguineum* pietate nimia dilexit et educauit; (XXX 8, 4 exempla) humanitatis et pietatis, quas sapientes *consanguineas* uirtutum esse definiunt bonas. Citemus etiam Claudian. In Ruf. II 238

Quid *consanguineas acies*, quid dividis olim
Concordes aquilas?

XVI 12, 61 *inmensum quantum ab eo differens* qui post feros lugubresque terrores cineribus Galliarum insultans multa minabatur et saeua.

Hic non possumus non componere Verg. Aen. II 274
quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli e. q. s.

XVIII 4, 7 Haec operientibus illis et ancipiti cogitatione districtis, nobis apud Samosatam, Commageni quondam regni clarissimam sedem, parumper morantibus repente noui motus rumoribus densis audiuntur et *concertis*.

Petschenigius [2]) proposuit *consertis*, at Novak [3]) defendit *certis*. An fuit primaria scriptura:

---

1) Illud coniecit Valesius, hoc proposuit Petschenigius.
2) Phil. vol. 49 p. 478.
3) l.l. pag. 27.

certis
rumoribus densis audiuntur et *conpertis*?

Sic certe discimus, quomodo *concertis* oriri potuerit. *Conpertus* saepissime in auctore nostro legitur, imprimis autem huc facit (XXXI 16, 2) *conpertae* fidei (sc. exploratores).

XVIII 10, 1 Haec dum primi impetus ⟨*turbo*⟩ conatibus agitat insperatis e. q. s.

Gelenii supplementum tueri possum hisce exemplis XIX 2, 6 belli *turbo*; XXXI 16, 2 inter medios certaminum *turbines*; Apul. Met. IX 2 (Helm. 204, 9) subiti periculi *turbine*; Senec. Dial. VI (ad Marc.) 16, 7 agricola eversis arboribus, quas aut ventus radicitus evolsit aut contortus repentino *impetu turbo* praefregit e.q.s.

Haud temere ergo requiro: Sen. Ep. 91, 12 omnes hic exitus manet, sive ventorum vis flatusque per clusa violenti pondus, sub quo tenentur, excusserint, sive torrentium in abdito vastior ⟨*turbo*⟩ obstantia effregerit, sive flammarum violentia conpaginem soli ruperit e. q. s.

Cum his denique verbis comparetur Sen. Ep. 79, 1 quicquid illo *freti turbine* abreptum est.

XIX 2, 13 tot enim nos circumstantibus malis non obtinendae causa salutis, ut dixi, sed fortiter moriendi studio flagrabamus et a diei principio ad usque lucem obscuram neutrubi proelio inclinato ferocius quam consultius [1]) pugnabatur. exurgebant enim ⟨*urgentium*⟩ terrentiumque clamores, ut prae alacritate consistere sine uulnere uix quisquam possit.

Ante *terrentium* aliud participium a librario praetermissum esse multi intellexerunt. Si igitur patet *terrentium* dictum esse de obsessis, inserendum est verbum, quod pertinet ad oppugnantes vel adorientes. Addidi *urgentīum* coll. XXIII 2, 2 solum Arsacem monuerat Armeniae regem, ut collectis copiis ualida iubenda operiretur, quo tenderet, quid deberet *urgere* propere cogniturus cet. Observemus Gardthausenum ex C. F. W. Muelleri coniectura edidisse XX 11, 7 *urgebat* moenium defensores, ubi codd. exhibent *cogebat*.

Idem verbum revoco infra XIX 6, 8 uerum audito licet leui

1) Verba *ferocius quam consultius* leguntur etiam Liv. XXII 24, 3.

urgentium sonitu gemituque caesorum discusso somno, excitatis multis et ad arma pro se quoque clamitante steterunt milites uestigiis fixis progredi ultra non ausi.

Löfstedt (l.l. pag. 76) coniecit: leviter *prodeuntium*, quod tamen displicet Geyero [1]).

XX 3, 2 cum post inaequales cursus iter menstruum lunae *ad idem reuocatur initium.*

Hic quoque Ammianus imitatur Ciceronem, compares modo De rep. VI 7, 24 cum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint ...... tum signis omnibus *ad principium* stellisque *revocatis* expletum annum habeto.

XX 5, 5 id sane nec praetermitti ⟨*oportet*⟩ nec taceri quod, cum prope Argentoratum inluxisset ille beatissimus dies uehens quodam modo Galliis perpetuam libertatem.

Supplementum meum *oportet* aptius videtur esse quam *est aequum*, quod Gelenio auctore Gardthausen recepit, cf. XXVII 5, 8 in commune consultans pacem dari [2]) *oportere* decreuit cet.

XXI 5, 2 Iam dudum tacita deliberatione uos aestimo, magni [3]) commilitones, gestorum excitos amplitudine hoc operiri consilium, ut euentus, qui sperantur, perpendi possint et praecaueri, plus enim audire quam loqui militem decet actibus *coalitum* ...... gloriosis. nec alia spectatae aequitatis sentire rectorem, quam ea, quae laudari digne potuerunt et probari.

Ne quis miretur usum *coalescendi* verbum, conferat XXI 12, 22 puluere *coalitum* Martio; XXIII 6, 61 *coalitique* solitudine; XXVII 2, 6 tribunus magniloquentia socordi *coalitus*; XXVII 6, 8 nec tolerantia rerum *coalitum* asperarum; XX1X 6, 11 studio aedificandi *coalitus*; XXXI 2, 20 iuuentus uero equitandi usu a prima pueritia *coalescens.*

Nunc fortasse facilius concedetur supra scribendum esse: actibus coalitum ⟨*paulatim*⟩ gloriosis e. q. s., cum praesertim lacuna 8 litt. capiat. Quam bene adverbium insertum sententiae

---

1) Cf. Archiv f. lat. Lexicogr. (1907) pag. 432.

2) *dari* scribo cum Petschenigio (cf. Phil. vol. 51 pag. 523).

3) Strenue defendit traditam lectionem Löfstedt l. l. pag. 80—81.

conveniat, demonstrant haec exempla XXII 8, 4 gracilescens *paulatim*; XXII 5, 1 (= XXII 8, 2) *paulatimque* adulescens; XXXI 5, 7 *paulatim* augescens; XXV 10, 3 *paulatim* surgente cet.

Eadem medicina alter locus sanetur:

XXVII 7, 4 Et quamquam Valentinianus homo propalam ferus inter imperitandi exordia ut asperitatis opinionem molliret, impetus truces retinere non numquam in potestate animi nitebatur, *serpens* tamen uitium et dilatum ⟨*paulatim*⟩ licentius erupit ad perniciem plurimorum, quod auxit ira acerbius efferuescens.

Supplemento meo favet XXVIII 1, 24 et ne tot malis disseminatis [1]) *paulatimque serpentibus* acerui crescerent aerumnarum e. q. s.

XXI 8, 4 mandabat tamen egressis, ut tamquam hoste protinus occursuro tutius graderentur, stationesque nocturnas agerent et uigilias, ne *inprouiso* . . . . . . inuaderentur excursu.

In cod. *nemprouiso* (pro *ne inprouiso*) excipitur dittographia *suo*, tum exstat lacuna 15 litt., quam sequitur *minuaderentur*. Ergo 18 fere litterae recuperandae sunt. Tentaverim: ne inprouiso ⟨*manuum insidiatricum*⟩ inuaderentur excursu.

Quod dedi, commendat locus similis XXIV 4, 29 (index nuntiauerat) subsedisse *manum insidiatricem* latenter, ut *inprouiso* inde exorta agminis nostri terga feriret extrema. Affero etiam XXVII 10, 11 per ignota itaque et palustres uligines deuius tendens *insidiatricis manus* locatae per obsita [2]) subito oppetisset adcursu, ni e. q. s.

XXI 12, 10 . . . . iterum summa coepti prudentis aliorsum euasit.

In fronte sententiae quattuor litterae interierunt. Verum in promptu est conicere ultimum vocabulum praecedentis sententiae fuisse *reserarent*⟨*que*⟩, hic autem scribendum esse: *Ceterum* summa coepti e. q. s.

Contra Apul. Apol. c. 68 (Helm. 77, 1) Riese pro *ceterum* censet legendum esse *iterum*, de quo loco nuper egi Mnemos. Vol. 37 pag. 74.

---

1) Haec est codicis lectio secundum Petschenigium (Phil. vol. 51 pag. 683).

2) Sic scribendum est cum Petschenigio (cf. Phil. vol. 51 pag. 524).

Magnopere autem invitamur ut studeamus restituere verba, quae in fine sententiae proxime antecedentis interierunt. Fortasse scriptore nostro non indigna sunt: ut dum uicissim missilibus se petunt et saxis utrimquesecus alte locati, hi qui transiere per pontes, nullo interpellante aedificii parte conuulsa aditus in penetrali⟨a *patefacerent re*⟩*serarent*⟨*que*⟩.

Commemoremus Hauptium revocasse (XXVII 12, 18) *reserata* caeli temperie, cum cod. Vat. exhibeat *serata*. Praeterea *reserandi* verbum occurrit XXIII 6, 24; XXVI 10, 4 cet.

XXI 12, 17 Inter quae ne cessaret Aquileiae *oppugnatio* cum in reliquis opera consumeretur in cassum, placuit resistentes acriter ad deditionem siti conpelli.

Oppugnatio spatium vacuum 15 litt. non explet, quamobrem sine mora substitue *circumuallatio*. Verbum *circumuallandi* legimus XVII 2, 2; XVIII 6, 10; XXIV 2, 9; XXXI 10, 15.

XXI 14, 4—5 Post Menandri celeberrimos versus

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου,

in cod. sequuntur verba lacunosa: ..... itidem ..... sempiternis Homeri carminibus intellegi datur, non deos caelestes cum uiris fortibus conlocutos nec adfuisse pugnantibus uel iuuisse e. q. s.

Usus Ammianeus commendat: *Clare* itidem *et liquide ex* sempiternis Homeri carminibus intellegi datur e. q. s., quae supplementa congruunt cum spatiis vacuis. Afferantur haec exempla XXII 1, 2 *clare* monstrabat; XXIX 1, 33 *clare* pronuntiantes; XXII 10, 7 indicantia *liquide* cet.

XXII 6, 2 hi omnes densi ⟨*coactique in*⟩ unum principem ipsum et praefectos praetorio graculorum more strepentes interpellabant incondite, modo non ante septuagensimum annum extorquentes quae dedisse se iure uel secus plurimis adfirmabant.

In lacuna 11 litt. inserui *coactique in*, quia Gelenii supplementum dens⟨*ati in*⟩ non sufficit. Viam mihi monstravit ipse Ammianus scribens XXIX 6, 6 *in unum coactas* [1]) misere uastatorias manus cet.

---

1) Sic scribo cum Petschenigio (Phil. vol. 51 pag. 685).

XXII 8, 10 omnis autem eius uelut insularis circuitus litorea nauigatio uiginti tribus dimensa milibus stadiorum, ut Eratosthenes adfirmat et Hecataeus et Ptolomaeus aliique huius modi cognitionum minutissimi scitatores ⟨*in*⟩ speciem Scythici arcus neruo coagmentati geographiae totius adsensione formatur.

In addidit Gelenius neque mihi displicet. Observandum tamen est *ad* non minus convenire, cf. XVII 4, 15 *ad* speciem liciorum; XXII 15, 21 *ad* speciem equorum; XXII 15, 29 *ad* ignis speciem; XXIII 6, 28 et 57 cet.

Regnat autem eadem varietas inter *ad modum* et *in modum*, cf. XIV 10, 10 *ad* hunc modum; XIX 8, 8 *ad* peniculi modum; XIX 9, 9 *in* modum stipitum; XXIII 4, 1 *in* modum regulae cet.

Componenda denique sunt XX 4, 18 trusus *ad* necessitatem extremam et XXVI 10, 3 (quos) desperatio trudebat *in* scelus.

XXII 9, 12 Sed ut haec laudanda et bonis moderatoribus aemulanda, ita illud amarum et notabile fuit, quod aegre sub eo a curialibus quisquam adpetitus, licet priuilegiis et stipendiorum numero et originis penitus alienae firmitudine communitus [1]) obtinebat aequissimum adeo ut plerique territi *emercarentur* molestias *pretiis* clandestinis ⟨*et inmensis*⟩. Itineribus itaque e. q. s.

Ut suppleam in congruo fere spatio *et inmensis*, suadet locus non dissimilis (XV 2, 9): sed accidebat non numquam, ut opulenti pulsantes praesidia potiorum isdemque tamquam ederae celsis arboribus adhaerentes absolutionem *pretiis mercarentur inmensis* e. q. s.

Ceterum frequentissime Ammianus hoc adiectivum adhibet, velut XV 1, 4; XXVII 11, 3; XXXI 5, 13; XXXI 16, 7 cet.

XXII 16, 14 *amoenus* inpendio locus et *diuersoriis* laetis extructus.

Sic describitur Canopus. At Amoris domus vocatur (Apul. Met. V, 1): luculentum et *amoenum* . . . . . . *diuersorium*.

XXII 16, 18 pro omni tamen experimento sufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, Alexandriae ⟨*si*⟩ se dixerit eruditum.

---

1) Petschenigius post *communitus* requirit *ius* (Phil. vol. 50 pag. 565).

Si, quod Gelenius inseruit ante *Alexandriae*, transposui commotus XXIII 3, 2 arripere fidentius principatum *si se* interisse didicerit apud Parthos et XXVII 10, 9 *nisi se* celeri defendissent occursu e. q. s.

Saepe vero excidit *si*, velut ante *stipitem* (XXII 15, 31), ante *scitari* (XXVI 1, 1), ante *simultatum* (XXX 4, 9), ante *sub* (XXVIII 5, 14) cet. His perspectis omnes fere mecum scribent XXVIII 4, 9 apparuisse ⟨*si*⟩ subito ignotam conpererint et XXX 1, 17 tristes sollicitudines, huic inrisioni ⟨*si*⟩ superfuerit, excitabit.

XXII 16, 19 sed ⟨*si*⟩ intellegendi diuini aditionem multiplicem et praesensionum originem mente uegeta quisquam uoluerit replicare, per mundum omnem inueniet ...... huius modi ab Aegypto circumlata. ⟨*hic*⟩ primum homines longe ante alios ad uaria religionum incunabula, ut dicitur, peruenerunt et initia prima sacrorum caute tuentur condita scriptis arcanis.

Mihi in lacuna 12 litt. verborum contextu requiri videtur *theologumena*. Agnoscit certe Ammianus *theologi* (XVII 7, 12; XXI 14, 3) et *theologicae* doctrinae (XVI 5, 5).

Primum legimus (XXIII 1, 5): quibus ut conuenerat ordinatis, terrebatur *omine* quodam ut docuit exitus praesentissimo.

Tum malo omine exposito pergit auctor:

XXIII 1, 6 praecesserat aliud *saeuum*. namque kalendis ipsis ianuariis ascendente eo gradile Genii templum e sacerdotum consortio quidam ceteris diuturnior nullo pulsante repente concidit animamque insperato casu efflauit, quod adstantes — incertum per inperitiam an adulandi cupiditate — memorabant consulum seniori *portendi* nimirum Sallustio, sed ut apparuit non aetati sed potestati maiori interitum propinquare *monstrabatur*.

Verba *omine*, *portendi*, *monstrabatur* monent ut edamus (§ 6) praecesserat aliud *s*⟨*c*⟩*aeuum*, sicut invenitur XXIX 3, 1 praefectum, qui potestate late diffusa *scaeuum* imperatori accesserat incentiuum. At substantivum habes XXX 4, 10 horum libertatem temeritas, constantiam audacia praeceps, eloquentiam inanis quaedam imitatur fluentia loquendi: quarum artium *scaevitate*, ut Tullius adseuerat, nefas est religionem decipi iudicantis. Iam Guenther et Petschenigius correxerunt (XXVIII

2, 9): id conmeruisse *scaeuo*[1]) iudicatus arbitrio, quod evaserit solus.

Ad extremum liceat afferri duo exempla Apuleiana (Met. IV 19 Helm. 88, 27): occurrit *scaeuus* eventus et (Apolog. cap. 92 Helm. 102, 26): *scaeui* ominis mulier.

XXIV 1, 7 sed postquam aduenit lux certa, aquatum quidam egressus uisis subito hostibus ululabili clamore sublato excitos tumultuosis uocibus propugnatores armauit. et mox ⟨*a*⟩ specula quadam altissima explorato situ castrorum, quam ocissime e. q. s.

Praetulerim: ⟨*de*⟩[2]) specula quadam, sicut Petschenigius[3]) requirit (XVI 12, 59): equo est ⟨*d*⟩evolutus e. q. s.

XXIV 4, 24 praecipuo studio quaesitus reperiri non potuit.

Idem fere narratur infra (XXV 9, 13): nec inueniri usquam potuit studio quaesitus ingenti. Manifesto Ammianus ante oculos habuit Liv. XXII 7, 5 Flamini quoque corpus funeris causa magna cum cura inquisitum non invenit.

XXIV 6, 14 *fulmina* illa *bellorum.*

Ad Lucret. III 1034 Scipiadas *belli fulmen* Heinze adnotat: „Man denke auch an Κεραυνός als Beinamen". Addamus etiam Hamilcaris cognomen, quod est *Barcas*, significare *fulmen.*

XXV 5, 8 hoc ille audito, quod semper trepidis uotis ⟨*expetebat*⟩ et inopina prosperitate elatus, multitudine ex regio equitatu adiuncta his, qui dimicauere nobiscum celeri disposuit gradu agminis nostri inuadi terga postremi.

Magis ex Ammianeo usu inserueris: quod semper trepidis uotis ⟨*orabat*⟩ e. q. s., cf. (XXX 5, 1) pedibusque eius prostrata *orabat* pacifica prece cet.

Ipse Gardthausen Gelenio auctore edidit (XXVIII 1, 51): ⟨*orauit*⟩ impense ut rescriberetur eum occidi e. q. s.

---

1) Codex exhibet *scaeso.*

2) Löfstedt l.l. pag. 94 proposuit: <e> specula.

3) Phil. vol. 50 pag. 343.

XXVI 5, 9 curis diducebatur ambiguis (quocum comparandum est XXVI 6, 14 diductus in cogitationes uarias).

Est poeticum genus dicendi, ut elucet ex Verg. Aen. V 720

tum vere in curas animo diducitur omnis.

XXVI 8, 3 et hoc casu Bithynia quoque *Procopii* dicionem redacta est.

Quia legimus supra (XXVI 5, 9): super adpetitu uero *Procopi* e. q. s., hic quoque eadem genitivi forma ponenda est, altera autem littera *i* (vel *ī*) compendium scripturae fuit pro *in*. Restituendum est igitur: *Procopi* ⟨*in*⟩ dicionem redacta est.

XXVI 10, 5 unde post ⟨*tres*⟩ dies productus, lateribus sulcatis acerrime, pariaque perpessis consortibus interiit.

Inserui verbum, quod facile intercidere potuit, at Petschenigio [1]) placuit scribere: post dies *paucos* productus e. q. s.

XXVII 4, 14 Constat autem ut uulgauere rumores adsidui, omnes paene agrestes, qui per regiones praedictas montium circumcolunt altitudines, salubritate uirium et praerogatiua quadam uitae longius propagandae nos anteire, idque inde contingere arbitrantur, quod conluuione ciborum abstinent ⟨*indumentisque*⟩ calidis et perenni uiriditate roris asperginibus gelidis corpora constringente, aurae purioris dulcedine potiuntur e. q. s.

Post *abstinent* excidit, nisi fallor, *indumentisque* ac profecto exspectamus, ut auctor, cum praesertim in descriptione Thraciarum urbium nonnulla tradiderit de cibo et aqua et aëre, aliqua etiam de veste narret. Pro *uestimentum* autem Ammianus usurpare solet *indumentum*, velut (XXII 9, 11) *indumentum* ex serico pallio; (XXVIII 4, 8) fulgentes sericis *indumentis*; (XXXI 2, 5) *indumentis* operiuntur linteis cet.

XXVIII 1, 7 primo quod recalebant in auribus eius parentis effata, quid augurales alites uel cantus monerent oscinum adprime callentis, ad usque sublimia regimenta ⟨*aditurum*⟩, sed *periturum* ferro poenali.

---

1) Phil. vol. 51 pag. 522.

Auctorem, quippe quem iuvet in una eademque periodo ponere *recalebant* et *callentis*, verisimile est scripsisse id quod dedi. Similia invenimus (XIV 11, 3) consulto consilio; (XXI 12, 13) petebantur..... oppetebant; (XXVII 12, 12) quae *ceperat* su*perata* cet. *Aditurum* denique commendatur Sil. Pun. XV 511

neue usque ad sidera *adisse*
Inuideat laeuus nobis deus.

XXVIII 2, 12 nec quisquam aduentum eorum cauere poterat inopinum, non destinata sed uaria petentium et longinqua et quaque [1]) uentus duxerat perrumpentum [2]): quam ob causam prae ceteris hostibus Saxones timentur ut repentini. et quamlibet coniurati multorum opes attriuerint, oestroque concepti furoris exagitati caedes edidere luctificas, sanguinis nihilo minus auidi quam praedarum, ⟨sed⟩ ne per minutias gesta narrando *r.....enus* operis inpediam cursum, id unum sufficiet eorum exitiale poni commentum.

Ipsa vestigia, quamvis sint exilia, ducunt me ad: *rectum aliquatenus* operis inpediam cursum e. q. s.

Adverbium insertum agnoscit Ammianus, velut (XXVII 10, 4) *aliquatenus* hostiles torpuere discursus. Saepissime autem *rectus* occurrit: (XVII 5, 9) *recto* pectore; (XVII 9, 1) *recta* serie; (XVII 5, 5) *recta* ratio; (XXV 4, 16) instituto *rectissimo*; (XX 3, 2) lineamentis *rectissimis* cet.

XXVIII 4, 16 Ita autem pauci sunt inter eos seueri uindices delictorum ut, si aquam calidam tardius attulerit seruus, trecentis adfligi uerberibus iubeatur; si hominem sponte occiderit propria, instantibus plurimis ut damnetur reus dominus hactenus exclamet „quid faciat *ma......mosus* et nequam? et siquis ⟨*aliud eius modi*⟩ deinceps ausus fuerit, corrigetur [3]).

In priore lacuna 9 litt. capiente scribere velim *manifesto morosus*, at Cornelissen [4]) proposuit *manifesto rabiosus*. Verum adiectivum *rabiosus* graviorem vim habens huc non quadrat.

1) Servanda est codicis scriptura.
2) Cf. Phil. vol. 51 pag. 525.
3) Petschenigius praefert *curetur* (Phil. vol. 51 pag. 526).
4) Mnemos. vol. 14 pag. 293.

In altera autem lacuna ut suppleam *simile quicquam*, efficit cum XXV 2, 7 quod face in coelo uisa committi proelium uel *simile quicquam* non oportebit, tum XXVII 3, 10 si ferrum quaerebatur aut plumbum aut aes aut *quicquam simile*. Addamus etiam Cic. Brut. § 216 Cn. Sicinnius, homo impurus, sed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris *simile quicquam*.

XXVIII 6, 13 Inter tales tamen consulendi moras exspectandique responsa, Austoriani successu gemino insolentes, ut rapaces alites aduolarunt inritamento sanguinis atrocius efferatae; cunctisque, nisi quos fuga discriminibus eximeret, interemptis, praedas, quas antehac reliquerant, ⟨*auerterunt*⟩ arboribus exsectis et uitibus.

Quid supplendum esset, docuerunt me XIV 2, 2 merces opimas uelut uiles nullis repugnantibus *auertebant* et XXXI 7, 6 magnamque spoliorum *auerterent* partem. Equidem recte se habere puto etiam XXVI 8, 12 (ut) sequentem ac paene captam uxorem ...... *auerteret* [1]) secum.

XXIX 1, 31 ac linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis, torulo capiti circumflexo, uerbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine praescitionum auctore, caerimoniali scientia supersistit cortinulae *s*...... pensilem anulum librans, sartum ex Carpathio filo perquam leui, mysticis disciplinis initiatum: qui per interualla distincta retinentibus singulis litteris incidens saltuatim, heroos efficit uersus interrogationibus consonos.

In tota descriptione unum vocabulum vehementer desidero nempe *sollemniter*. Quod ut suppleamus commovemur non solum spatio vacuo, sed etiam hisce exemplis (XIV 7, 21) Iamque lituis cladium concrepantibus internarum non celate ut antea turbidum saeuiebat ingenium a ueri consideratione detortum et nullo inpositorum uel conpositorum fidem *sollemniter* inquirente nec discernente a societate noxiorum insontes e. q. s. XX 6, 1 transmisso *sollemniter* Tigride cet.

XXIX 2, 7 *aes conlaticium.*

---

1) Petschenigius mutavit in *aueheret* (Phil. vol. 59 pag. 153).

Supra (XIV 1, 4 et XIV 6, 11) legitur *stipe conlaticia*, quam locutionem iure Weyman [1]) contendit Ammianum ab Apuleio mutuatum esse. Commemoremus auctorem nostrum praeterea usurpasse (XXVI 10, 14): *stipe precaria.*

XXIX 2, 17 Accesserat hoc quoque eodem tempore ad Valentis ceteras laudes, quod cum in aliis ita saeviret infeste, ut poenarum *maturis* . . . . . . ferret finiri cum morte, Pollentianum tribunum malitia quendam exsuperantem . . . . . . abire iussit inlaesum.

Decem litterae interierunt, quas ut recuperemus ratione habita traditae lectionis, scribendum erit: ut poenarum *maturi⟨u⟩s uim prae se* ferret finiri cum morte. Comparare possumus (XXVI 2, 6): Exulto, prouinciarum fortissimi defensores, et *prae me fero* semperque laturus sum, nec speranti e. q. s. ad sententiam autem Sen. De Benef. VII 19, 8 non contentus simplici morte distorquet nec urit solum perituros, sed excoquit.

XXIX 4, 6 hac Valentinianus gloria defraudatus nec culpa ⟨*propria*⟩ nec ducum sed intemperantia militis e. q. s.

Non modo utitur auctor noster *sponte sua* (cf. XXII 15, 27; XX 8, 15), verum etiam *sponte propria* (XVII 2, 3; XVII 5, 7 cet.) atque omnino hoc adiectivum Ammianus in deliciis habet, cf. uilla *propria* (XXVIII 1, 54), occipitiis *propriis* (XXXI 15, 1), telis *propriis* (XXXI 13, 6) cet.

Haud immerito ergo arbitror post *culpa* praetermissum esse *propria.* Insuper attendamus *propria* per compendium scriptum non multum differre a praecedenti syllaba, quae est *pa.*

XXIX 5, 7 recepto itaque tardius milite, quem amplitudo ⟨*intercipiebat*⟩ maris, Sitifim properans e. q. s.

Inserui *intercipiebat* adductus (XXX 3, 3): quia igitur abeunte autumno multa inpediebant et aspera, adnitebantur omnes per regiam optimates, ut ad usque principium ⟨ueris⟩ oratum eum *interciperent* et exoratum e. q. s. Sic pro *perciperent*, quae secundum Eyssenhardtium est tradita memoria, recte scribit Petschenigius [2]).

---

1) Sitzungsber. der K. b. Akademie der Wissenschaften 1893, pag. 361.
2) Phil. vol. 51 pag. 522.

XXIX 5, 30 certare necessitate . . . . . *sus* semet ipsum et ad internecionen perdiderat cunctos, ni gentium turbulenta concussio e. q. s.

Si contulerimus (XXXI 8, 4) *adacti* necessitate [1]) postrema; (XXXI 5, 2) (eos) *adigebat* ocius proficisci; (XXXI 2, 4) *adigente* maxima necessitate; (XXXI 8, 10) ut *adigebat* necessitas cet; facere non possumus quin supra in congruo spatio restituamus: certare necessitate *adactus prorsus* semet ipsum et ad internecionem perdiderat cunctos e. q. s.

XXIX 5, 55 *interposita fide publica.*

Hanc locutionem ex Sallustio Ammianum hausisse asseverat M. Hertz [2]). Verum iam Cicero scripserat (Brut. § 89): cum Lusitanis a Ser. Galba praetore contra *interpositam,* ut existimabatur, *fidem* interfectus e. q. s.

XXX 4, 5 Demosthenes, quo dicturo concursus audiendi causa ex tota Graecia fieri solitos monumentis Atticis continetur.

Cum hac sententia Michael [3]) componit tantummodo Brut. § 289; debuit conferre etiam De optim. gen. orat. § 22 ad quod iudicium concursus dicitur e tota Graecia factus esse.

XXX 4, 8 *uidere est* (cf. XXXI 8, 7 erat spectare).

Taciteum genus dicendi imitatur Ammianus cf. German. 5 *est videre* apud illos e. q. s. Annal. XVI 34 coniectare *erat* cet.

Ceterum nihil miramur eius modi rationem loquendi in auctore, qui Antiochiae Graeca familia natus procul dubio legerat Herod. I 32 πολλὰ μὲν ἔστι ἰδεῖν, τὰ μή τις ἐθέλει e. q. s.

XXX 5, 14 *conglaciari frigoribus.*

Praeiit Cic. de nat. deor. II § 26 fusio quae neque *conglaciaret frigoribus* e. q. s.

Hic quoque licet conferri Amm. XXIX 6, 18 *absterso metu* cum Cic. ad fam. IX 16, 9 volo enim *abstergere* animi tui *metum* et ibid. XI 24, 1 ista epistula mihi omnem *metum abstersisses.*

---

1) Legitur etiam (XIV 6, 17): si *fors* adegerit.

2) De Ammiani Marcellini studiis Sallustianis Dissertatio. Index Schol. in Universitate Vratislaviensi 1874 pag. 12 (adnotat. 18).

3) De Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis. Vratislaviae 1874. pag. 47.

XXX 8, 5 (Papirius Cursor) solus ad resistendum aptus Alexandro Magno, si calcasset Italiam, aestimatus.

His verbis cum in universum significantur notissima capita XVII. usque ad XIX. libri noni Livii, tum praecipue haec una sententia (IX 16, 19): quin eum (sc. Papirium Cursorem) parem destinant animis magno Alexandro ducem, si arma Asia perdomita in Europam vertisset.

XXX 8, 8 Themistoclis illius ueteris dissimilis (sc. Valentinianus), qui cum post pugnam agminaque deleta Persarum licenter obambulans, armillas aureas uidisset humi proiectas et torquem „tolle", inquit, „haec" ad comitum quendam prope adstantem uersus „quia Themistocles non es" *quodlibet* spernens in duce magnanimo lucrum ⟨*uel amplissimum*⟩.

In spatio vacuo 14 litt. supplevi, quod sententiae et lacunae convenire videtur. *Quilibet* vero coniunctum cum *uel*, quod superlativus excipit, legimus etiam Pro Rosc. Amer. § 8 quodsi aut causa criminis aut facti suspicio aut *quaelibet* denique *uel minima* res reperietur, quam ob rem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine secuti e. q. s.

XXX 8, 9 *huius exempla* continentiae similia plurima in Romanis exuberant ducibus.

Haec ediderunt Gelenius Gardthausen alii, verum in codice Vaticano exaratum est: *huc* [8 litt.] *pla*, quocirca scribendum censeo: *huiusce exempla* continentiae e. q. s.

Documento sunt XXX 7, 1 *huiusce* principis; XXXI 2, 18 sunt *illisce* tuguria cet.

XXX 9, 3 Scrupulosus in deferendis potestatibus celsis nec imperante eo prouinciam nummularius rexit aut administratio uenundata, nisi inter ⟨*initia*⟩ ut solent occupationis spe uel inpunitatis quaedam scelesta committi.

Hoc Gelenii supplementum amplectens affero: (XVIII 10, 2) inter *initia* tenerioris aetatis; (XXXI 4, 3) inter *initia* ipsa; (XXXI 14, 8) inter *initia* contemnebat. Maxime autem memorabile exemplum invenies (XXI 7, 1) *inter exordia ipsa coeptorum*.

XXXI 2, 4 nec enim apud eos uel arundine fastigatum reperiri tugurium potest. sed uagi montes peragrantes et siluas, pruinas famem sitimque *per* .... ab *incunabulis* adsuescunt.

In lacuna 10 litt. non sufficit supplere *per⟨ferre⟩*. Itaque ede mecum: famem sitimque *per⟨ferre ipsis⟩* ab *incunabulis* adsuescunt, cf. XXVII 6, 8 non rigido cultu *ab incunabulis ipsis* ut nos educatum, nec tolerantia rerum coalitum asperarum e. q. s. Praeterea citetur Prudent. Perist. X 680

„Quis auctor", inquit, „vocis est huius tibi?"
Respondit ille: „Mater et matri Deus.
„Illa ex parente spiritu docta inbibit
„Quo me *inter ipsa* pasceret *cunabula* [1]).

XXXI 2, 9 eoque omnium acerrimos facile dixeris bellatores, quod procul missilibus telis, acutis ossibus pro spiculorum acumine arte mira coagmentatis, et *distint* ..... comminus ferro sine sui respectu ⟨*confligunt*⟩ e. q. s.

Cubant in priore lacuna 12 litterae, si igitur scripserimus *distantiis decursis*, spatium vacuum explebitur. Ipsum autem supplementum commendatur et allitteratione et hoc exemplo simili (XXXI 12, 11) *decursis* itaque uiarum *spatiis*. Laudemus etiam (XXXI 13, 7) solque sublimior *decurso Leone* e. q. s.

Verum *confligunt*, quod omnes fere editores receperunt, defendunt XXXI 5, 9; XXXI 13, 4 cet.

XXXI 5, 10 sufficiet ...... ipsas rerum digerere summitates.

Eadem fere vis inest in verbis: (Verg. Aen. I 342) summa sequar fastigia rerum.

---

1) Cf. quae de hac re disputavi Revue de l'Instr. publ. en Belg. 1909 pag. 30 et 31.

ANNAEANA.

AD SENECAE EPISTULAS AD LUCILIUM.

Ep. 12, 6 tota aetas partibus constat et orbes habet circumductos maiores minoribus: est aliquis, qui omnis conplectatur et cingat; hic pertinet a natali ad diem extremum, est alter, qui annos adulescentiae *excludit.* est qui totam pueritiam ambitu suo adstringit [1]).

Multi offensi sunt verbo *excludit,* Paulus quidem Thomas [2]) scripsit: il faut avouer que *includit* serait plus naturel. Mihi autem usus Annaeanus flagitare videtur *cludit,* quod ut probem e plurimis exemplis afferam haec: Ep. 25, 4 intra quae quisquis desiderium suum *clusit*; Ep. 55, 11 si quicquam esset cogitationibus *clusum*; Ep. 73, 13 quod virtutes eius spatio breviore *cluduntur*; Ep. 93, 9 (scimus) quemadmodum omnia, quae usquam erant, *cluserit* et se ipsam finem sui fecerit (sc. natura); Ep. 102, 22 nullum saeculum magnis ingeniis *clusum* est; Dial. VIII (de otio) 5, 6 illud scrutor, quod ultra mundum iacet, utrumne profunda vastitas sit an et hoc ipsum terminis suis *cludatur*; Dial. X (de brevit. vitae) 15, 5 sapientis ergo multum patet vita, non idem illum qui ceteros terminus *cludit* [3]) cet.

Facile vero intellegimus post *adulescentiae* e dittographia natam esse scripturam *eccludit* sive *excludit.* Infra quoque Thomasio [4]) praeeunte ediderim Ep. 86, 9 at olim et pauca erant balnea nec ullo cultu exornata: cur enim [*ex*]*ornaretur* [5]) res quadrantaria et in usum non in oblectamentum reperta?

---

1) Textum dedi secundum editionem Teubnerianam, quam curavit Hense 1898.

2) Senèque. Morceaux choisis des Lettres à Lucilius et des Traités de Morale. 3ème Edition. Paris. Hachette 1906. Pag. 184.

3) Cf. Sen. Dial. VI (ad Marc.) 2,5 ed. Hermes. pg. 155 in adnot.: *cludere* sollemne ap. Sen.

4) l.l. pag. 248.

5) *ornaretur* exhibet cod. P.

Ep. 17, 3 nempe hoc quaeris et hoc ista dilatione vis consequi, ne tibi paupertas timenda sit: quid si adpetenda est? multis ad philosophandum obstitere divitiae; paupertas expedita est, secura est. cum classicum cecinit, scit non se peti; cum aqua conclamata est, quomodo exeat, non quid efferat, quaerit; *ut* si navigandum est, non strepitat portus nec unius comitatu inquieta sunt litora. non circumstat illum turba servorum e. q. s.

Vix potest dubitari quin revocanda sit: *isti* si navigandum est, non strepitat portus. Illa autem vox inter *quaerit* et *si* haplographia quadam excidit.

Idem pronomen demonstrativum desidero in sequentibus (Ep. 45, 8): ceterum qui interrogatur, an cornua habeat, non est tam stultus, ut frontem suam temptet, nec rursus tam ineptus aut hebes, ut nesciat ⟨*ista nisi*⟩ tu illi subtilissima collectione persuaseris.

Ep. 18, 15 sic ignis non refert quam magnus, sed quo incidat. nam etiam maximum solida non receperunt; rursus arida et corripi facilia . . . . . scintillam quoque fovent usque in incendium.

In lacuna sex litterarum, quae extat in cod. L post *facilla* (sic enim scriptum est) repono adverbium *facile.*

Ep. 21, 10 inscriptum hortulis „hospes, *hic bene manebis,* hic summum bonum voluptas est".

His verbis admonemur Liv. V 55, 1 centurio in comitio exclamavit: „signifer, statue signum *hic manebimus optime*".

Ep. 22, 13 Iam inprimebam epistulae signum: resolvenda est, ut cum sollemni ad te munusculo veniat et aliquam magnificam vocem ferat secum, et occurrit mihi ecce nescio utrum verior an eloquentior, „cuius?" inquis: Epicuri, adhuc enim alienas sarcinas *adoro*: „nemo non ita exit e vita, tamquam modo intraverit".

Verbo corrupto quantocius substitue *adaperio,* nam legimus Ep. 46, 1 Librum tuum, quem mihi promiseras, accepi et tamquam lecturus ex commodo *adaperui*; Ep. 64, 10 equo desiliam, caput *adaperiam,* semita cedam; Dial. II (de const. sap.) 1, 2 eadem illa, quae in unum congesserat error oculorum, paulatim *adaperiuntur*; Dial. IX (de tranq. an.) 4, 7 sive otiosa mutaque

est (sc. virtus) et in angusto circumsaepta, sive *adaperta*, in quocumque habitu est, proficit; De Benef. III 37, 2; De Clement. I 13, 3 cet.

Ep. 24, 26 quosdam subit eadem faciendi videndique satietas et vitae non odium sed fastidium, in quod prolabimur ipsa inpellente philosophia, dum dicimus: „quousque eadem? nempe expergiscar, dormiam, esuriam ⟨*sitiam*⟩, algebo aestuabo.

Supplemento meo favent Ep. 4, 10 lex autem illa naturae scis quos nobis terminos statuat? non *esurire*, non *sitire*, non *algere*; Ep. 113, 21 omne animal terrestre alget, *esurit*, *sitit*: ergo iustitia *alget*, fortitudo *esurit*, clementia *sitit*; Ep. 119, 7 at parum habet, qui tantum non alget, non *esurit*, non *sitit*; Dial. V (de ira lib. 3) 9, 5 vetus dictum est a lasso rixam quaeri; aeque autem et ab *esuriente* et a *sitiente* et ab omni homine, quem aliqua res urit.

Ep. 27, 8 bona mens nec commodatur nec emitur, et puto, si *venalis esset*, non haberet *emptorem*.

Oportet componi Sall. Bell. Iug. 35, 10 urbem *venalem* et mature perituram, si *emptorem* invenerit.

Ep. 33, 4 quocumque miseris oculum, id tibi occurret, quod eminere posset, nisi inter paria legeretur. § 5 quare depone istam spem, posse te summatim degustare ingenia maximorum virorum: tota tibi inspicienda sunt, tota tractanda. *res geritur* et per lineamenta sua ingenii opus nectitur, ex quo nihil subduci sine ruina potest.

Scripserim: *per partes igitur* et per lineamenta sua ingenii opus nectitur e. q. s. *Igitur* quamquam nisi raro in Senecae epistulis non legitur, occurrit Ep. 104, 20 fugam tibi non prodesse miraris? tecum sunt, quae fugis. te *igitur* emenda, onera tibi detrahe e. q. s. Cf. etiam Natur. Quaest. I 6, 4 in quo (sc speculo) non *per partes* struitur quod apparet, sed statim totum fit.

Ep. 51, 1 tu istic habes Aetnam, *editum* illum ac nobilissimum Siciliae montem, quem quare dixerit Messala unicum, sive Valgius, apud utrumque enim legi, non reperio.

Editor Chatelanium fere secutus pro *et illuc*, quae est duorum

codicum scriptura, recepit *editum illum ac*, sed minus longe a tradita memoria recedes, si reposueris: habes *Aetnam excelsum ac* nobilissimum Siciliae montem. Pro mea emendatione pugnat imprimis Ep. 79, 10 an *Aetna* tua possit sublabi et in se ruere, an hoc *excelsum* cacumen et conspicuum e. q. s. Hoc adiectivo saepissime Seneca in Epistulis utitur, velut 52, 5; 66, 26; 66, 31; 71, 18; 74, 30 cet. Cf. etiam Dial. II 1, 2 cet.

At *celsus* legimus Ep. 111, 3; Agamemn. 96 (feriunt *celsos* fulmina colles) cet.

Ep. 53, 10 Alexander cuidam civitati partem agrorum et dimidium rerum omnium promittenti „eo", inquit, „proposito in Asiam veni, ut non id acciperem, quod dedissetis, sed ut id haberetis, quod reliquissem". idem philosophia *rebus* omnibus, „non sum hoc tempus acceptura, quod vobis superfuerit, sed id vobis habebitis, quod ipsa reiecero".

Restituendum videtur: idem philosophia ⟨*ait adsectato*⟩*ribus* omnibus „non sum e. q. s. Commendat certe Ep. 65, 18 sapiens *adsectatorque* [1]) sapientiae adhaeret quidem in corpore suo e. q. s.

Ep. 55, 2 ideo diutius vehi perseveravi invitante ipso litore, quod inter Cumas et Servili Vatiae villam curvatur et hinc mari, illinc lacu velut angustum iter cluditur. erat enim a recenti tempestate *spissum*.

Locutionem *litus spissum* Seneca mutuatus est ab Ovid. Met. XV 718 et tellus Circaea et *spissi litoris* Antium.

Ep. 58, 31 nam hoc scis, puto, Platoni diligentiae suae beneficio contigisse, quod natali suo decessit et annum unum atque octogensimum explevit sine ulla deductione. ideo magi, qui forte Athenis erant, inmolaverant defuncto, amplioris fuisse sortis quam humanae rati, quia consummasset perfectissimum numerum, quem novem novies multiplicata conponunt: non dubito quin *paratus sivisset* paucos dies ex ista summa et sacrificium remittere.

Mea lectio vix differt a scriptura *parat ausisset*, quam cod. Laurentianus exhibet.

---

1) Invenimus praeterea Ep. 122, 12 cenarum bonarum *adsectator*; Dial. IX (de tranq. an.) 1, 8 *adsectator* comesque patrimoniorum pereuntium populus cet.

Ep. 65, 15 „quid te", inquis, „delectat tempus inter ista conterere, quae tibi nullum affectum eripiunt, nullam cupiditatem abigunt?" ego quidem *peiora* illa ago ac tracto, quibus pacatur animus, et me prius scrutor, deinde hunc mundum.

Nonne rescribendum est: *superiora* illa ago ac tracto, quibus pacatur animus e. q. s.? Cf. Dial. XI (ad Polyb.) 5, 2 ille enim indulgentiam tibi tanquam fratri praestitit, venerationem tanquam parenti, cultum tanquam *superiori*; Dial, IV 34, 1; V 39, 1 cet.

Ceterum cum toto hoc loco comparetur (Cic. Tusc. V § 10): Socrates autem primus philosophiam devocavit e caelo et in urbibus conlocavit et in domus etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere.

Ep. 70, 5 si multa occurrunt molesta et tranquillitatem turbantia, emittit se. nec hoc tantum in necessitate ultima facit, sed cum primum illi coepit suspecta esse fortuna, diligenter circumspicit, numquid *illo* desinendum sit.

Madvig pro *illo* coniecit *illico*, at editor noster *cito*, equidem propono *ideo*.

Ep. 72, 11 non debemus occupationibus indulgere. excludendae sunt: si semel intraverint, in locum suum alias substituent. *principiis* illarum *opstemus*.

Conferamus primum Ep. 85, 12 si in nostra potestate non est, an sint adfectus, ne illud quidem est, quanti sint: si ipsis permisisti *incipere*, cum causis suis crescent; tum Ovid. Rem. am. 91

Principiis obsta; sero medicina paratur [1]).

Ep. 75, 11 quid inter morbos animi intersit et adfectus, saepe iam dixi. nunc quoque te admonebo: morbi sunt inveterata vitia et dura, ut avaritia, ut ambitio: *nimia actus* haec animum implicuerunt et perpetua eius mala esse coeperunt.

Ut locus corruptus sanetur, restituere velim: *nempe intus* haec animum implicuerunt.

Nempe sescenties in epistulis adhibet Seneca, at *intus* occurrit Ep. 80, 10; Ep. 82, 4; Dial. I 6, 3; Dial. I 6, 5 cet. Descri-

1) Cf. Otto Die Sprichwörter der Römer. Pag. 287.

batur modo Dial. IV (de ira lib. 2) 35, 4 qualem *intus* putas esse *animum*, cuius extra imago tam foeda est?

Ep. 78, 18 ista vita non mors est?

Idem fere habemus Cic. de rep. VI § 14 vestra vero quae dicitur vita mors est.

Ep. 83, 26 fere vinolentiam crudelitas sequitur. vitiatur enim exasperaturque sanitas mentis, quemadmodum *duros* difficilesque faciunt diutini morbi et ad minimam rabidos offensionem, ita ebrietates continuae efferant animos.

Supplementum meum *duros* non solum allitteratione commendatur, verum etiam his exemplis Ep. 90, 15 monstrat, quam nihil nobis natura *durum* ac *difficile* imperaverit; Dial. I (de prov.) 2, 4 ut *dura* ac *difficilia* non reformident cet[1]). Cf. praeterea Ep. 118, 2 quam *durus* sit faenerator Caecilius; Dial. II (de const. sap.) 14, 2 fores, quas *durus* ianitor opsidet; Dial. IV (de ira lib. 2) 17, 2 (misericordis) nimis mollis animus, huius (sc. crudelis) nimis *durus* est.

Ep. 89, 1 dividi philosophiam (sc. desideras) et ingens corpus eius in *membra* disponi.

Componamus Apul. de Plat. I 3 (Thom. pag. 85, 4) nam quamvis de diversis officinis haec ei essent *philosophiae membra* suscepta e. q. s. et Amm. Marc. XVI 5, 6 per omnia *philosophiae membra* prudenter disputando currebat. Cf. quae disputavi supra ad Ammian. Marc. XVI 5, 5.

Ep. 91, 12 De hoc loco egi supra ad Amm. Marc. XVIII 10, 1.

Ep. 95, 2 recitator historiam ingentem attulit minutissime scriptam, artissime plictam et magna parte perlecta „desinam", inquit, „si vultis". adclamatur „recita, recita" ab iis, qui illum ommutescere *illic* cupiunt.

Erasmo *illic* corruptum videbatur ex *illico*, at editor noster requirit *olim*, equidem desidero *scilicet*.

---

1) Possis afferre etiam Dial. V (de ira lib. 3) 37, 3 beati hominis iudicat ac potentis indicium *difficilem* ianuam; nescit *durissimum* esse ostium carceris.

Similiter scribo infra Ep. 102, 26 ex maternorum viscerum calido mollique fomento emissum adflavit aura liberior, deinde offendit durae manus tactus, tenerque adhuc et nullius rei gnarus obstipuisti inter ignota: (§ 27) nunc tibi non est novum separari ab eo, cuius ante pars fueris: aequo animo membra iam supervacua dimitte et istuc corpus inhabitatum diu pone: scindetur, obruetur, abolebitur. quid contristaris? ita solet fieri: pereunt *scilicet* [1]) velamenta nascentium.

Hic primum in cod. fuit, ut opinor, *sc* deinde *se* post *sepe* (saepe).

Ep. 99, 10 „sed puer decessit". nondum dico melius agi cum eo, qui ⟨*puer*⟩ vita defungitur: ad eum transeamus, qui consenuit.

Supplementum meum tuetur Plaut. Bacch. 816

Quem di diligunt
Adulescens moritur, dum ualet sentit sapit.

Menandri quoque celeberrimus versus afferatur *ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.*

Ep. 101, 4 o quanta dementia est *spes longas inchoantium.*

Hic constat Senecam significare Horatii versum (Carm. I, 4, 15):

Vitae summa brevis *spem* nos vetat *incohare longam.*

Ep. 113, 24 „non sunt", inquit, „virtutes multa animalia, et tamen animalia sunt. nam quemadmodum aliquis et poeta est et orator, et tamen unus, sic virtutes istae animalia sunt, sed multa non sunt. idem est animus [et animus] et iustus et prudens et fortis, ad singulas virtutes quodammodo se habens". sublata ⟨*controversia*⟩ convenit nobis.

Ipse Seneca scribit Ep. 119, 8 sine *controversia* [2]) et de Benef. III 7, 7 *controversia tollitur*, at Cicero Phil. 9, 11 neque instituere litium actiones malebat quam *controversias tollere.* Itaque haec exempla satis tuentur supplementum meum.

Ep. 122, 1 Detrimentum iam dies sensit. resiluit aliquantum, ita tamen ut liberale adhuc spatium sit, si quis cum ipso, ut

---

1) Kronenberg mavult *nempe* (Class. Quart. I pag. 209).
2) Cf. etiam Dial. V (de ira lib. 3) 14, 3 *controversiam* illi facere de gloria debuit.

ita dicam, die surgat. officiosior meliorque, si quis illum exspectat et lucem primam *exuit*: turpis qui alto sole semisomnus iacet, cuius vigilia medio die incipit, et adhuc multis hoc antelucanum est.

Pro *exuit* Buecheler coniecit *eruit*. Nonne Senecae reddemus: et lucem primam *excivit*? Confirmat me Dial. XII (ad Helv.) 7, 4 alios alia causa *excivit* domibus.

Idem verbum revocandum videtur supra Ep. 53, 6 levis aliquem motiuncula decepit; sed cum crevit et vera febris exarsit, etiam duro et perpessicio confessionem *excivit*.

Hic autem libri manuscripti exhibent aut *excipit* aut *excepit*, quod Agricola mutavit in *exprimit*, Haase in *excutit*.

AD SENECAE DIALOGOS.

Dial. I (de prov.) 3, 8 felix est L. Sulla, quod illi descendenti ad forum gladio summovetur, quod capita sibi consularium virorum patitur ostendi et pretium caedis per quaestorem ac tabulas publicas numerat? et haec omnia facit *ille*, *ille* qui legem Corneliam tulit [1]).

Non debuit Schultess conicere *ille Sulla*, „nam facile geminationem tuentur haec exempla Annaeana Ep. 29, 2 illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero, spargenda manus est. non potest fieri, ut non aliquando succedat multa temptanti". *hoc hoc*, mi Lucili, non existimo magno viro faciendum; Dial. XII (ad Helv.) 2, 5 transeo tot pericula, tot metus, quos sine intervallo in te incursantis pertulisti: *modo modo* in eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti; Dial. IV (de ira lib. 2) 29, 3 antequam audias, antequam interroges, antequam illi aut accusatorem suum nosse liceat aut crimen, irasceris? *iam* enim *iam* utrimque ⟨quid⟩ diceretur audisti?

Neque praetereundum censeo Sall. Bell. Cat. 20, 14 Quin igitur expergiscimini? en *illa*, *illa*, quam saepe optastis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt.

---

1) Textum dedi secundum editionem, quam Hermes curavit. Haec autem prodiit Lipsiae apud Teubnerum a° 1905.

Dial. II (de const. sap.) 13, 5 nullius ergo movebitur contumelia; omnes enim inter se *differant*, sapiens quidem pares illos ob aequalem stultitiam omnis putat.

Scribendo *differant* pro tradita memoria *differunt* Gertz emendationem non videtur perfecisse. In optimo cod. invenitur: omnes *enī īter* se *differunt* e. q. s., sed debebat ille exhibere: omnes enim ⟨*ut*⟩ inter se *differant*, sapiens quidem pares illos ob aequalem stultitiam omnis putat. Nunc autem nemo non perspexit originem vitii.

Verum coniunctio *ut* praedita vi concessiva legitur Dial. II 14, 2 (et *ut* vincat, par fuit); Dial. IV 28, 2 (*ut* hoc ita sit, quam angusta innocentia est); Ibid. VI 18, 8; Ep. 70, 7 (*ut* sit hoc verum, non omni pretio vita emenda est); Ep. 65, 14; 83, 8 cet.

Dial. III (de ira lib. 1) 9, 2 „ira", inquit Aristoteles, „necessaria est, nec quicquam sine illa expugnari potest, nisi illa inplet animum et spiritum accendit; *utendum* autem illa est non ut *duce* sed ut *milite*".

Cum his ultimis verbis conferri oportet Sall. Bell. Cat. 20, 16 vel *imperatore* vel *milite* me *utimini*.

Dial. III (de ira lib. 1) 18, 3 Cn. Piso fuit memoria nostra vir a multis vitiis integer, sed *pravus* et cui placebat pro constantia rigor.

Nonne verborum contextus flagitat *perdurus*, quod per compendium scriptum (*ꝑdurus*) a *prauus* non multum differt.

Dial. IV (de ira lib. 2) 35, 1 Numquid velit quisquam tam graviter hostem ferire, ut relinquat manum in vulnere et se ab ictu revocare non possit? atqui tale ira telum est: vix retrahitur. arma nobis expedita prospicimus, gladium commodum et habilem: non vitabimus impetus animi ⟨*nimis*⟩ hos graves et onerosos et inrevocabiles?

Graves certe poscit adverbium, quod vim positivi auget. Quod supplevi, satis frequenter occurrit, velut Dial. IV 17, 2 *nimis* mollis; *nimis* durus; Dial. VI 12, 6 *nimis* secundae res; Ep. 30, 3 *nimis* securi cet.

Dial. IV (de ira lib. 2) 35, 5 quales sunt hostium vel ferarum *caede madentium* ..... aspectus e. q. s.

Hic unusquisque meminit Ovidii versuum (Met. I 149):

et virgo *caede madentes*
ultima caelestum terras Astraea reliquit.

Dial. VI (ad Marc.) 3, 4 si ad hoc maximae feminae te exemplum applicueris moderatius, mitius, non eris in aerumnis nec te tormentis macerabis: quae enim, malum, amentia est poenas a se infelicitatis exigere et mala sua *non* augere?

Pro corrupto *non* alius aliud coniecit, equidem requiro *sponte.* Hic autem ablativus sine pronomine possessivo legitur Ep. 90, 43 (*sponte* currentes); Ep. 95, 8 (*sponte* delinquere) cet., at *sua sponte* habemus Ep. 88, 22; Dial. V 39, 3 cet.

Dial. VI (ad Marc.) 11, 1 Quae deinde ista suae publicaeque condicionis oblivio est? mortalis nata es, mortales peperisti: putre ipsa fluidumque corpus et causis *morbos* repetita sperasti tam inbecilla materia solida et aeterna gestasse?

Pro *morbos* revoco *morbidis;* locutionem vero *causis morbidis* strenue defendit *morbida vis* (Lucret. VI 956). Observandum tamen est adiectivum *morbidus* alio sensu legi infra § 4 quocumque se movit, statim infirmitatis suae conscium, non omne caelum ferens, aquarum novitatibus flatuque non familaris aurae et tenuissimis causis atque offensionibus *morbidum,* putre, causarium, fletu vitam auspicatum e. q. s.

Dial. VI (ad Marc.) 22, 4 decernebatur illi (sc. Seiano) statua in Pompei theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat; exclamavit Cordus tunc vere theatrum perire. § 5 quid ergo? non rumperetur supra cineres Cn. Pompei constitui Seianum et in monimentis maximi imperatoris consecrari perfidum militem? *consecratur* subscriptio, et acerrimi canes, quos ille ut sibi uni mansuetos, omnibus feros haberet, sanguine humano pascebat, circumlatrare hominem etiam illum *imperiatum* incipiunt.

Leni medicina adhibita utrumque vocabulum in integrum restituere posse mihi videor. Pro *consecratur,* quod ortum est ex praecedenti *consecrari,* edatur *consignatur.* Quod autem *c* et *g*

inter se confunduntur, apte contuleris infra Dial. VI 24, 5 *effugatur* in duobus codicibus exaratum pro *offocatur*.

Etiam minus a tradita lectione recedemus, si pro *imperiatum* reposuerimus *imperditum* freti Verg. Aen. X 430

Et vos, o Graiis *inperdita* corpora, Teucri,

ubi Forbiger adnotat: quos Graeci ad Troiam pugnantes perdere non potuerunt. Nos belgice interpretari solemus: onverdelgbaar.

Dial. VII (de vita beata) 15, 5 ut bonus miles feret volnera, numerabit cicatrices, et transverberatus telis moriens amabit eum, pro quo cadet, imperatorem; habebit illud in animo vetus praeceptum: *deum sequere*.

Simile quid legitur Apul. de Plat. II 23 (Thom. pag. 127, 7) sapientem quippe pedisequum et imitatorem dei dicimus et *sequi* arbitramur *deum*, id est enim ἕπου θεῷ [1]).

Dial. VII (de vita beata) 19, 2 de alterius vita, de alterius morte disputatis et ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum, sicut ad occursum ignotorum hominum minuti canes, latratis; expedit enim vobis neminem videri bonum, quasi aliena virtus exprobratio *delictorum omnium* sit.

Vulgo edunt: exprobratio delictorum *vestrorum* omnium, rectius tamen scribi videtur: quasi aliena virtus exprobratio delictorum ⟨*istorum*⟩ omnium sit.

Dial. IX (de tranq. an.) 2, 12 sunt enim quaedam (sc. voluptates), quae corpus quoque nostrum cum quodam dolore delectent, ut versare se et mutare nondum fessum latus, et alio atque alio positu ventilari: qualis ille Homericus Achilles est, modo pronus, modo supinus, in varios habitus se ipse componens, quod proprium aegri est, nihil diu pati et mutationibus ut remediis uti. § 13 inde peregrinationes suscipiuntur vagae et *in* litora pererrantur et modo mari se modo terra experitur semper praesentibus infesta levitas.

Sinceram lectionem puto esse: et *iam* litora pererrantur e. q. s.

---

1) Cf. quae scripsi Rev. de l'Instr. publ. en Belgique. Vol. L pg. 299 (a. 1908).

Dial. IX (de tranq. an.) 11, 9 sero animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur.

Cum his verbis non inepte composueris Ovid. Trist. I 3, 35 sero clipeum post vulnera sumo.

Alterum vero exemplum pulchrae illius allitterationis (p-p-p-p) inveni supra Dial. IV (de ira lib. 2) 21, 9 pertinebit ad rem praeceptores paedagogosque pueris placidos dari: proximis adplicatur omne quod tenerum est et in eorum similitudinem crescit.

Dial. XII (ad Helv.) 7, 1 Scythia et totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus *civitates Achaiae* Ponticis *inpositas* litoribus ostentat.

Elegantius de re prorsus non dissimili scripsit Cicero (de rep. II 9, 4) ita barbarorum agris quasi *attexta* quaedam videtur *ora* esse *Graeciae.*

Dial. XII (ad Helv.) 16, 5 non potes itaque ad optinendum dolorem muliebre nomen praetendere, ex quo te virtutes tuae seduxerunt; tantum debes a feminarum lacrimis abesse, quantum vitiis. ne feminae quidem te sinent intabescere volneri tuo, sed *levior* necessario maerore cito defunctam iubebunt exurgere, si modo illas intueri voles feminas, quas conspecta virtus inter magnos viros posuit.

Verum videtur esse: sed *ultro* necessario maerore cito defunctam iubebunt exurgere, nam VLTRO sententiae sufficit et huic voci aliqua saltem similitudo est cum vocabulo corrupto LEVIOR. Saepius autem Seneca eo adverbio utitur, velut Dial. IX 7, 1; XI 12, 2; XII 14, 3; de benef. I 1, 3 cet., sed satis est afferre de Benef. VI 6, 2 Potius conparatione facta inter se beneficii et iniuriae videbo, an mihi etiam *ultro* debeatur.

Dial. XII (ad Helv.) 16, 6 ex hac femina (sc. Cornelia) debuit nasci, qui diceret in contione: „tu matri meae male dicas, quae me peperit?

Haec verba sine dubio respexit Plutarchus scribens (C. Gracch. IV) „Σὺ γὰρ" ἔφη „Κορνηλίαν λοιδορεῖς τὴν Τιβέριον τεκοῦσαν;"

Dial. XII (ad Helv.) 17, 4 propter istas, quae litteris non ad

sapientiam utuntur sed ad *luxuriam instruuntur*, minus te indulgere studiis passus est.

Istius modi mulieres iam fuerunt temporibus Catilinae atque adeo vix dubito quin Senecae obversata sit luculenta descriptio morum Semproniae, quam legimus apud Sallustium (Bell. Cat. 25, 2): haec mulier genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis et Latinis docta, psallere et saltare elegantius, quam necesse est probae, multa alia, quae *instrumenta luxuriae* sunt.

Neque omittamus componere De Benef. VII 20, 2 Si marmora et vestes desideraverit, nihil oberit cuiquam id, quo *luxuria eius instruitur*.

COROLLARIUM.

De Benef. I 1, 1 Inter multos ac varios errores temere inconsulteque viventium nihil propemodum, vir optime Liberalis, dixerim ⟨*volgarius quam*⟩ quod beneficia nec dare scimus nec accipere [1]).

Quod supplevi, usus Annaeanus enixe flagitare videtur, ut apparet ex De Benef. VII 27, 3. Est istuc grave vitium, est intolerabile et quod dissociet homines, quod concordiam, qua inbecillitas nostra fulcitur, scindat ac dissupet, sed usque eo *volgare est,* ut illud ne qui queritur quidem effugerit; Ibid. II 2, 2 leve et *volgare* beneficium; Ibid. III 23, 3; III 33, 3; VI 34, 3; VII 17, 1; De Clement. I 2, 2 cet [2]).

Idem igitur adiectivum recte addere solent editores De Benef. I 14, 1 Quod voles gratum esse, rarum effice: quis patitur sibi inputari *volgaria*?

De Benef. IV 12, 5 In quid mundus vices suas *solvit*? in quid sol diem extendit et contrahit? omnia ista beneficia sunt, fiunt enim nobis profutura.

Pro *solvit,* quod Hosius recepit, primaria lectio codicis N est *souit.* Quocirca reponendum videtur: In quid mundus vices suas *fovet*? Cf. De Benef. IV 15, 4 adeoque ad beneficia nos non inpellit utilitas, ut inutilia *tueri ac fovere* perseveremus sola beneficia caritate; Ibid. VII 29, 2 Quaedam nomina bona lentus et sapiens creditor fecit, qui sustinuit ac mora *fovit* cet.

---

1) Textum dedi secundum Hosium.

2) Kronenberg inseruit *vehementius* quam (Cl. Quart. Vol. I pag. 284); at tradita verba nuper defendere conatus est J. Buck (Seneca, De Beneficiis und de Clementia in der Ueberlieferung; Tübingen 1908, pag. 42) cuius rationis aequissimus et prudentissimus iudex exstitit Gemollius (cf. Wochenschr. f. kl. Phil. 1909 N. 11 pag. 295—296).

De Benef. VI 30, 2 Quin potius eum potentem esse vis, cui plurimum debes, *beatumque*? quid enim e. q. s.

Vulgo edunt ⟨*et*⟩ beatum, sed *que* vel *q.* ante *quid* sine ullo negotio excidere potuit; praeterea meliorem clausulam lucrabimur, si *beatumque* scripserimus. Conferre possis De Benef. VII 1, 6 quidquid nos meliores *beatosqae* facturum est; Natur. Quaest. Praef. § 7 tunc consummatum habet *plenumque* bonum sortis humanae cet. In universum cf. quae disputavi supra ad Amm. Marc. XV 2, 7.

De Benef. VII 4, 3 Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt; et totus ager *utique ullius* rei publicae est, pars deinde suo domino quaeque censetur.

Utique ullius editor noster elicuit e codd. lectione *aut illius.* Mihi verum videtur: et totus ager *totius* rei publicae est, pars deinde suo domino quaeque censetur. Fieri autem potest ut *aut* natum sit ex *to* (vel *ot*), *illius* vero ex *tius.*

Legimus De Benef. VII 19, 5 „Quid? si" inquit „non tantum malus factus est, sed ferus, sed inmanis, qualis Apollodorus aut Phalaris, et huic beneficium, quod acceperas, reddes?"

Ad haec verba nimirum spectant (§ 7): Proposuisti enim mihi *Phalarim et tyrannum,* quorum si naturam habet intra se malus, quidni ego isti beneficium suum reddam, ne quid mihi cum illo iuris sit amplius?

Tyrannum sic nude positum vix potest significare *Apollodorum,* quocirca edamus: Proposuisti enim mihi Phalarim et ⟨*Casandreum*⟩ tyrannum, quorum e. q. s. Cf. Ovid. Ex Pont. II 9, 43

Non tibi *Casandreus* pater est gentisve Pheraeae cet.

De Benef. VII 20, 5 Huic homini malo, quem invenire in quolibet foro possum, quem singuli timent, reddam beneficium, quod accepi. Non oportet mihi nequitiam eius prodesse; quod meum non est, redeat ad dominum. Bonus sit an malus, quid ⟨*attinet*⟩? diligenter istud excuterem, si non redderem, sed darem.

Attinet vel simile quid omissum esse videntur demonstrare

haec exempla De Benef. VII 22, 1 malus an bonus sit, ad te *non pertinet*; redde et accusa; Natur. Quaest. I 5, 1 nunc *nihil ad rem pertinet,* quomodo videamus quodcumque videmus: sed e. q. s.

De Clement. I 19, 3 iracundissimae ac pro corporis captu pugnacissimae sunt apes et aculeos in volnere relinquunt, rex ipse sine aculeo est; noluit illum natura nec saevum esse nec ultionem magno constaturam petere telumque detraxit et iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens; est enim illi mos exercere se in parvis et ingentium rerum documenta minima *argere.*

Pro *argere,* quod exaratum est in cod. O, nonne scribendum erit *parare*?

CONSPECTUS LOCORUM
AD ARTEM CRITICAM PERTINENTIUM.

AMMIANEA.

ANNAEANA.

EPISTUL.

DIALOG.

DE BENEF.

DE CLEMENT.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

PA
6205
B7

Brakman, C
Ammianea et Annaeana

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY